

§ 44.

De tropico et figurato dicendi genere.

Ornatus orationis ingeniosae ac fervidioris sunt tropi¹ et figurae. Penuria verborum homines olim troporum, et affectus figurarum usum docuit. Hinc tropi et figurae apud omnes gentes et in omni sermone poëtarum atque oratorum inveniuntur, sed imprimis in sermone orientalium sub coelo calido degentium, vivido ingenio, copiosa phantasia, et fervida animi natura praeditorum abundant. In oriente plane sermo tropis ac figuris ornatus pro signo habetur ac dote hominis sapientis. Etiam auctores sacri hac in re naturam concivium suorum participant. Ad quod in Bibliis alia quoque ratio accedit. Veritates scilicet revelatae sublimes, mysterii plenae et passionibus adversae, locutione tropica quasi sensibus subjectae melius percipiuntur, firmiter atque efficacius memoriae cordique inculcantur, quam sermone arido et abstracto propositae. Insuper doctrinae sublimiores sub involucri troporum incredulis, impiis et profanis utiliter occultantur, fideles autem ad eas profundius scrutandas incitantur.

Non est ergo mirandum, Biblia non solum tropis et figuris poëtis atque oratoribus familiaribus referta esse, sed etiam peculiaribus tropis et figuris biblicis alibi insolitis abundare. Interpretatio autem troporum et figurarum aliquando perdifficilis est et periculo graviter errandi plena. Naturam ergo et regulas interpretationis troporum ac figurarum nosse interpreti S. Scripturae maxime necessarium est.

§ 45.

Notio et divisio troporum.

1. — Tropus (= versio, flexio sc. significationis) dicente Quintiliano est verbi aut sermonis a propria significatione in aliam cum virtute translatio; vel penitus: est *ingeniosa et consuetudini loquendi aliena permutatio idearum associatarum, ob earum relationem* scil. similitudinem aut cohaerentiam. Praecipue autem permutantur ideae rerum sensibus non subjectarum, abstractarum,

¹ Tropi una cum figuris a multis figurae sensu latiore vocantur, vel vero tropi figuris orationis adnumerantur. Melius tamen est tropos a figuris distinguere.

absentium, futurarum vel captu difficilium cum ideis rerum sensibilibus et bene notarum. Ratio autem ejusmodi translationis est tum *similitudo*, quae inter mundum sensibilem et insensibilem, materialem et spiritualem, realem et idealem intercedit, tum *cohaerentia* rerum (causae et effectus, continentis et contenti, totius et partis) vinculo metaphysico junctarum.

Est enim haec animi humani lex, ut ea, quae similitudine vel aliquo vinculo conjuncta sunt, simul ei occurrant, ipsaque mens facillime cogitando transeat ad res, praesentibus similes, aut natura vel arte connexas. Nomina ergo talium rerum inter se permutantur, praesertim si necessitas id postulat vel suavitas orationis ad tropum invitat. Tropus eo perfectior est, quo res sensibilis, quae aliam rem repraesentat, notior, et quo similitudo vel cohaerentia utriusque perfectior est atque evidentior.

Quicumque tropus duo habet elementa, scilicet ideas permutatas, quarum una signum est, altera res significata; prior est ipse tropus, posterior tropi sensus. Iis autem ut tertium tropi elementum accedit relatio (similitudo vel cohaerentia) seu illa proprietas, in qua res permutatae conveniunt. Haec proprietas vocatur *tertium comparationis* (sc. elementum) si de similitudine, *vinculum relationis* si de cohaerentia agitur.

Permutari possunt ideae rerum (personarum, irrationalium, abstractarum) vel factorum (actionum, passionum, eventuum). Praeterea tropi sunt aut praedicationes proprietatum seu descriptiones, aut praedicationes factorum seu narrationes. (Tropi descriptivi et narrativi.) Et descriptiones et narrationes pertinere possunt ad subjectum personae primae, secundae vel tertiae.

2. — Apta et clara troporum, imprimis biblicorum divisio est difficillima, tum propter ipsos rei nodos, tum propter vagam eorum formam frequentemque confusionem. Nos sequentem divisionem statuimus.

1. *Ratione relationis idearum* quae permutantur (fundamenti logici), tropi dividuntur in *tropos similitudinis et cohaerentiae*; priores vocantur *imagines* seu tropi ideales, posteriores *tropi objectivi*, vel ut quibusdam (e. g. Wilke) placet, tropi sensu strictiore. In tropis objectivis cohaerentia idearum, quae permutantur, est aut externa, aut interna; externa adest in metonymia, interna in synechoche.

Ad imagines et tropos objectivos ut tertiam speciem addimus *tropos mixtos*, qui tum tropi, tum figurae sunt, et ubi tropi

sunt, partim imaginis, partim tropi objectivi naturam habent. Sensus eorum plus aut minus occultus est, qui ingenii acumine vel meditando reperitur. In Bibliis sunt frequentes.

2. *Ratione ambitus* tropi sunt *verbales* aut *producti* seu *extensi* (tropi verborum et orationis), prout uno verbo vel phrasi continentur, aut in orationem longiorem extenduntur. Permutari enim possunt singulae ideae aut idearum series, seu singulare dictum, aut oratio protracta.

Distinctio troporum verbalium et productorum non est semper facilis. Tropus ad unum vocabulum etiam complementis auctum vel ad unam phrasim restrictus certe verbalis est habendus; quia unam ideam, etsi pluribus notis et vocibus exprimit. E. g. coelum et terra (mundus), argentum et aurum (pecunia), navis Petri (ecclesia), genu ponere (adorare), lumbos praecingere (se praeparare), lucem accendere in tenebris (ignorantes docere), agnus qui coram tondente obmutescit (homo mitis et patiens), — tropi certe verbales sunt. Nos etiam propositionem tropicam, quae nonnisi unum habet subjectum, unumque praedicatum, tropis verbalibus adnumeramus. E. g. navicula Petri fluctibus jactatur. Si autem tropus in plures propositiones (plura subjecta vel praedicata logice diversa) extenditur, tropus orationis seu productus adest. E. g. navis Petri fluctibus jactatur, sed illa non timet procellas.

3. *Ratione manifestationis sensus* tropi sunt *aperti* aut *clausi* (operti). Tropus apertus est, si sensus tropi declaratur, seu si tropus admixtam habet interpretationem. Tropus autem clausus est ille, cujus sensus saltem intra limites tropi reticetur; potest enim sensus extra ambitum tropi indicari vel exponi, et talis tropus vocatur *solutus* seu *explicatus*. Tropi objectivi semper sunt clausi.

3. — Praeter verba etiam res vel facta signa tropica esse possunt. Ejusmodi res tropica verbis descripta vel narrata sensum realem habet, scilicet sensum non verbis, sed rebus significatis expressum. Talem tropum vocamus *tropum realem* vel *tropum cum sensu reali*. Tropi reales sunt symbola et typi. Rhetorica profana tropos reales inter tropos non numerat; sed rhetorica biblica notionem troporum etiam in symbola et typos extendere, eaque saltem *sensu improprio* tropos nominare debet. Tropi illi reales plerumque revelatione nituntur, et ad oeconomiam salutis pertinent; ideo plurimae eorum species nonnisi in Bibliis inveniuntur.

In rhetorica S. Scripturae distinguendi sunt etiam *tropi cum sensu accommodato* (et *mystico*), scilicet falsi sensus tropici, symbolici

ac typici verbis Scripturae praeter intentionem auctoris suppositi. Quum tamen tropi reales et accommodati sensu proprio tropi non sint, et plerique eorum ut partes revelationis ad hermeneuticam Christianam pertineant: eorum in hoc capite mentionem fecisse sufficiat.

Notandum adhuc est, in uno eodemque tropo duplicem significationis translationem latere posse. E. g. calicem Dei bibere est metonymia (quod in calice est), et insuper metaphora (sors, quam Deus praebet). Carni servire est metonymia (caro = concupiscentia carnis), dein metaphora (= tyrannidi concupiscentiae subjectum esse).

4. — Singula genera troporum adumbrata plures species comprehendunt, quarum conspectum exhibet sequens tabula synoptica.

Tropi cum sensu translato (tropi sensu proprio)	tropi ideales seu imagines	verbales	apertus: <i>similitudo</i> 1.
			clausi: <i>metaphora</i> 2.
			clausi: <i>anthropomorphis- mus</i> 3.
		producti	apertus: <i>comparatio</i> (et <i>parallelia</i>) 4.
			semi- clausus: <i>parabola evange- lica</i> 5.
			clausi: <i>allegoria</i> 6.
			clausi: <i>fabula</i> 7.
	tropi objectivi (tropi sensu strictiore)	tropus conjunctionis (cohaerentiae exter- nae):	<i>metonymia</i> 8.
			<i>synecdoche</i> 9.
		tropi partis (cohae- rentiae interna):	<i>antonomasia</i> 10.
			<i>gnoma</i> 11.
		tropi mixti	<i>exemplum</i> 12.
			<i>emphasis</i> 13.
			<i>aenigma</i> 14.
			<i>ironia</i> 15.
			<i>hyperbole</i> 16.
Tropi sensu improprio	Tropi cum sensu reali	simplici (propter aliud) intento	<i>symbolum</i> <i>hist. doctr.</i> (<i>rituale</i>) 1.
			<i>visio symbol.</i> 2.
			<i>actio symbol.</i> 3.
	cum sensu spirituali	duplici (propter se) intento	<i>typus realis</i> 4.
			<i>prophetia typica</i> 5.
Tropi cum sensu accommodato et mystico.			

§ 46.

Imagines verbales.

1. — *Similitudo* (icon, εἰκών) est aperta declaratio paritatis (essentialis, qualitativae vel quantitativae) duarum idearum vel sententiarum. Elementa ejus sunt: assimilatum (archetypus), ipsa imago et tertium comparationis. Una similitudo ultra unam sententiam non extenditur; possunt tamen plures similitudines diversam imaginem exhibentes cumulari.

In similitudine verba sensu proprio accipiuntur veraque permutatio ac translatio sensus non fit; sed tamen occasio et initium datur permutationis idearum. Ideo similitudo quasi tropus potentialis vel initialis haberi potest.

Exempla.

Juventus est sicut ver. Fortiter pugnat ut leo. Mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote prudentes sicut serpentes etc. (Matth. 10, 16.) Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. (I. Thess. 5, 2.) Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est. (Jac. 2; 26.) Deinde Isai. 34, 4. Os. 6, 4. Amos 4, 11. Matth. 17, 19. I. Cor. 2, 11. etc.

2. — *Metaphora* (translatio) est similitudo clausa,¹ quae ideas vel sententias similes inter se permutat, imaginem pro assimilato dicens. Si pro imagine ideam assimilatam reponimus, metaphora tollitur et *solvi* dicitur.

Metaphora potest esse in quacunque propositionis parte: subjecto, praedicato, attributis, adverbis et objectis. In metaphoris saepe occurrit constructio ad sensum.

Metaphora pro ambitu triplex distinguitur. Met. *simplex* est, quae unam similitudinem continet et una voce, phrasi vel propositione simplici exprimitur. Met. *acervata* est cumulatio plurium metaphorarum independentium, et ad diversas imagines pertinentium sive de eodem, sive de diverso subjecto dictarum. Metaphora autem *amplificata* est praedicatio multarum metaphorarum ad eandem imaginem pertinentium de uno subjecto rhetorico sensu proprio accepto. Ab allegoria eo differt, quod allegoriae subjectum rhetoricum semper est tropicum.

¹ Metaphora est, ut Cicero ait, similitudinis ad verbum unum contracta brevitatis.

Exempla.

a) *Metaphorae simplices.*

Leones (fortes) olim patriam defendebant. Rugitus (sonitus, strepitus) tempestatis. Babylon (Roma). Calix (sors). Sponsa Christi (ecclesia, anima). Genimina viperarum (homines vafri, mordaces). Vita et juvenus volant vel marcescunt (transeunt). Vere aetatis emarcuit (juvenis mortuus est). Orationis vela pandere, contrahere (orationem extendere, dicendi finem facere). Non potest civitas abscondi supra montem posita (regnum Dei. Matth. 5, 14.). Attendite a fermento (hypocrisi corrupti) pharisaeorum. (Luc. 12, 1.) Tibi dabo claves regni coelorum (potestatem peccata remittendi vel ecclesiam gubernandi. Matth. 16, 19.). Fornicari (infidelem esse) cum diis alienis. Lac vobis potum dedi, non escam (facilem doctrinam dedi. I. Cor. 3, 2.). Excolantes culicem, camelum autem glutientes (parva tantum peccata vitantes. Matth. 23, 24.).

b) *Metaphorae coacervatae* etiam frequentes sunt; e.g. Isai. 5, 26—30 Matth. 5, 14. 16, 19.

c) *Metaphorae amplificatae.*

Qui post me venturus est... (ejus) ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. (Matth. 3, 12.) — Lux (Verbum, doctor) in tenebris lucet, et tenebrae (ignari, impii) eam non comprehenderunt. (Joan. 1, 5.) — Ego sum pastor bonus etc. (Joan. 10, 11. sqq.) — Ego sum vitis, vos palmites etc. (Joan. 15, 5. sqq.) — Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat. (I. Cor. 3, 6. 10.) Deinde Rom. 11, 16. sqq. Ephes. 6, 11. sqq. Apoc. 3, 7.

Frequenter in S. Scriptura occurrunt *similitudines identitatis* seu *adaequantes*, idest praedicata metaphorica subjecto simpliciter attributa, quae addita particula comparationis fiunt similitudines. (sed etiam vim suam amittunt).

V. g. Ego sum via (i. e. sum sicut via, vel sum dux). Similiter ego sum vitis vera; vos estis lux mundi, sal terrae; vir est caput mulieris; Christi bonus odor (grati) sumus etc. Confer Gen. 41, 26. sq. Dan. 7, 24. — Etiam tales similitudines possunt amplificari. E. g. Vos estis sal terrae. Quodsi sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet, nisi etc. — Vos estis lux mundi. Non accendunt lucernam et ponunt eam sub modio etc. (Matth. 5, 13—15.) Deinde Gen. 49, 9. 14. Matth. 13, 19. 38. Joan. 10, 11. 15, 1. Gal. 4, 24. Apoc. 1, 20.

Species metaphorae, est etiam *catachresis* seu *abusio* metaphorae, scil. ille tropus, qui non tantum novo sensu, sed significationi vocis

plane contrario ac prope absurdo utitur. E. g. meridies noctis (media nox); aurigam (gubernatorem navis) video vela dedisse rati; equum aedificare; falsum evangelium, videre sermonem; Spiritu S. baptizare.

3. — Metaphorae affinis est *anthropomorphismus*, idest tropus fere semper clausus, quo Deo corpus, forma et membra humana (anthr. sensu stricto), vel affectus, passiones (anthropopathismus), vel vero actiones humanae internae et externae (anthropopoismus) tribuuntur. Sicut metaphora, ita etiam anthropomorphismus potest esse *simplex, acervata et amplificata*.

Corpus et operationes hominis ex corpore et anima compositi, immo etiam actiones animae quae imperfectionem continent, de Deo nonnisi metaphorice praedicari possunt. Actus autem spirituales puri: intelligere, velle, amare Deo proprie conveniunt; quamquam vel illi in Deo incomparabiliter actus humanos superant. Locutio anthropomorphistica partim a penuria verborum abstractorum, partim a vivacitate ingenii et sensuali orientalium indole, partim ab eo modo nascitur, quo Deum ex nobis et ex creaturis cognoscimus. Deum enim, spiritum purum et perfectissimum, homines praesertim simpliciores cogitare, pœsis et artes repraesentare non possunt, nisi specie humana indutum. Si autem de Deo omnes plus aut minus anthropomorphistice cogitamus, non mirum, si ita etiam loquimur.

S. Scriptura frequentissime loquitur de facie, oculis, auribus, manu, brachio, corde, visceribus, pedibus Dei; eum videre, audire, loqui, ire, descendere, visitare, oblivisci et recordari, irasci, contristari, dolere, patientiam habere, misereri, odisse etc. dicit. Exempla quaelibet pagina S. Scripturae exhibet. (Gen. 11, 5. I. Reg. 8, 21. 15, 35. Job. 19, 21. Ps. 30, 6. Matth. 4, 4. 5, 35. Luc. 1, 48—78. Joan. 1, 18. Act. 13, 33. Hebr. 1, 9. Philip. 4, 3. Apoc. 3, 5. 7, 17.)

§ 47.

Imagines orationis (productae).

1. — *Comparatio* est similitudo (ad eandem imaginem perti- nens) in plures sententias extensa. Forma ejus est vel descriptiva vel narrativa. Comparatur autem aut subjectum, aut praedicatum, aut utrumque. Tertium comparationis potest esse unum vel multi- plex. Assimilatum plerumque nonnisi indicatur et tropus solus per partes exponitur. Si autem et assimilatum et tropus juxta decurrunt, aut si comparatio plane membratim perficitur: com- parationem *paralleliam* nominamus.

a) *Exempla comparationis.*

Sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus filii hominis. Edebant et bibebant, uxores ducebant et dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noe in arcam; et venit diluvium et perdidit omnes. (Luc. 17, 26. 27.) Alia comparatio ibid. 17, 28—30. Deinde: dentes etc. sponsae, Cant. 4, 2. 4. 5.; lagena contrita, Isai. 30, 14.; arbor bona et mala, Matth. 7, 16—20. (etiam metaphora amplificata haberi potest); super petram et arenam aedificans, Matth. 7, 24—27.; immundus spiritus reversus, Matth. 12, 43—45. (parabola vel alle- goriae solutae similis); granum sinapis et fermentum, Matth. 13, 31—33.; thesaurus absconditus, margarita et sagena, Matth. 13, 44—50.; ovis aberrans reperta, Matth. 18, 12—14.; terra sponte fructificans, Marc. 4, 26—29.; dominus et servi vigilantes, Luc. 12, 35—48. Matth. 24, 43—51. (parabola et allegoriae similis); fenum arefactum, Jac. 1, 10. 11. comparationes acervatae: Jac. 3, 3—12.

b) *Exempla paralleliae.*

(Vos scribae et pharisaei) similes estis sepulchris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mor- tuorum et omni spurcitia. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. (Matth. 23, 27. 28.) — Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum (quamquam) sit dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre. Ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo tem- poris, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum recipere- mus. (Gal. 4, 1—5.) — Alia exempla paralleliae: pastor, mercenarius et lupo, Joan. 10, 1—18.; puerpera Joan. 16, 21. 22.; de mem- bris corporis et ecclesiae, I. Cor. 12, 12—30.

2. — *Parabola* (*παραβολή*) juxtapositio, apud Cicer. collatio) secundum Ciceronem est oratio rem cum re ex similitudine con- ferens; ergo idem est ac comparatio. Quintilianus per parabolam intelligit comparationem didacticam, doctrinam aliquam illustran- tem, explicantem vel demonstrantem. A parabola autem Latino- rum differt *parabola biblica*, quae trifariam dicitur: sensu lato, sensu Salomonico et sensu evangelico.

Sensu lato parabola (etiam proverbium, *παροιμία*, hebr. *מִשְׁלֵי*) significat omnem sermonem tropicum. (Conf. I. Reg. 10, 12. Ezech. 17, 2. 18, 2. Matth. 13, 31—35. 24, 32. Marc. 4, 33. sq. Luc. 4, 23. in Graeco.) *Sensu Salomonico* parabola (proverbium,

משל) est sententia ingeniosa, praecipue proverbium et gnoma, quae apud Hebraeos imaginibus potissimum exprimebantur. Hoc sensu parabola vel proverbium usurpatur in Parabolis Salomonis et in libris sapientialibus. Sed parabolae sensu Salomonico acceptae etiam in evangeliiis abundant, et quidem parabolis Salomonis longe praestantiores.

Parabola autem *evangelica*, de qua hic sermo, est imago orationis plus minus aperta, quae formam habet narrationis unius, verisimilis (quod evenire potest et solet) imo verae, e vita humana depromptae, adjunctis sensu translato carentibus ornatae, et ad finem didacticum, praecipue religiosum et moralem spectat.¹ Olim etiam fabula rationalis vocabatur. Narratio parabolae est una et consecrarium unum. Si duae narrationes integrae et distinctae, propriamque doctrinam habentes (ejusdem loci, temporis vel earundem personarum agentium vinculo) connectuntur, *parabola composita* oritur. (Talis est parabola de invitatis cenam renuentibus et de veste nuptiali.) Etiam tertium comparationis essenziale est unum; in partibus tamen parabolae multiplex similitudo potest adesse. Inter imaginem et assimilatum analogia ac parallelismus est, quae tamen plerumque rei essentia continentur et in singulas partes ornatus gratia additas non extenduntur; quapropter partes illae ornantes sensum tantum proprium habent, non autem parabolicum. Notandum adhuc est, parabolam saepe meram imaginem, in qua veritas conspiciatur, non esse, verum potius exemplum, quasi symbolum narratum, ex quo doctrina meditando abstrahatur.

Parabola similis est picturae vel statuae symbolicae, in qua tota imago et aliquae partes significationem habent, non autem omnes partes, quae ad integritatem et decorem sunt necessariae. Ita e. g. justitia symbolice repraesentatur imagine mulieris, oculis velatae, libram una, gladium altera manu tenentis. In hac imagine significationem habent mulier, oculi velati, libra et gladius; sed os, nasus, capilli, vestes nihil significant, licet ad perfectionem imaginis pertineant. Perfectior tamen est imago cujus omnes vel plures partes, etiam accidentales ac minutissimae sunt significativae. Talis parabola fit allegoriae vel comparationi similis.

¹ Meyer, Bisping, Zapletal et alii parabolam dicunt narrationem esse fictam, e vita humana sumptam et veritatem religiosam sublimiorem repraesentantem. Nos tamen putamus ad essentiam parabolae non pertinere, ut narratio sit ficta, quanquam revera talis esse solet.

Parabolarum sensum contextus imprimis applicatio (Matth. 18, 35. Luc. 16, 9. sqq.) et occasio (Matth. 18, 21. 22. 22, 1—14. conf. 21, 42. 43. Luc. 15, 1. 2.) pandit. Plerumque sensus simplicissimus et obvius est verus. In usu exegetico et dogmatico earum imprimis limites analogiae observandi, ultra quos similitudinem extendere non licet. Cavendum est, ne parabolae ad modum comparisonum vel allegostrarum explicentur, seu ne inter imaginem et sensum congruentia perfecta et ad omnes partes etiam accidentales (ornamenta) pertinens statuatur. Ut enim aliae partes parabolae in sensum solum translato valent, ita rursus aliae non habent nisi proprium. Accidentia ergo et ornamenta ipsa per se non sunt sensu translato interpretanda, nisi parabola simul etiam comparationis vel allegoriae naturam habeat. Parabolae nonnullae prophetae sunt, et plane prophético-typicae. Nonnunquam parabolae sensu accommodato (translato aut typico) accipiuntur.

Parabolae sensu evangelico acceptae in Ant. Testamento pauciores inveniuntur. Talis est parabola prophetae Nathan de divite agnum pauperis abripiente II. Reg. 12, 1—4.; de filio fratricida mulieris Thecuitae II. Reg. 14, 5—7.; deinde de duabus meretricibus Oolla et Ooliba Ezech. c. 23.

Parabolae autem praestantissimae, ingeniosissimae et gratiosissimae sunt illae, quas Salvator generis humani narravit. Ipsi apostoli parabolae Christi imitari vel non potuerunt, vel ausi non sunt, vel ob reverentiam noluerunt. In Talmude quidem parabolae inveniuntur, quae tamen parabolis Domini comparatae viles sunt ac ridiculae. Evangelia apocrypha parabolis omnino carent.

Christus Dominus permultas parabolae dixit (Matth. 13, 34. Marc. 4, 33.); sed evangelistae nisi septemdecim parabolae perfectas et integras nobis non conservarunt. Praeterea evangelia parabolae abundant abbreviatis, puta similitudinibus, in quibus parabolae latent, deinde comparationibus et allegoriis parabolae similibus, tum exemplis ad parabolam prope accedentibus. Plurimas parabolae memoriae prodiderunt Matthaeus et Lucas; Marcus non nisi Matthaei parabolae narrat, aliquantum decurtatas; Joannes nullam parabolam perfectam, sed aliquot tropos parabolae similes refert.

Parabolae evangelicae sunt variae, simplices, clarae, memoriae haerentes, curiositatem excitantes, doctrinae atque idearum plenae, gratiosae et cor moventes, multisque rebus applicabiles. Homines etiam indocti aliquantulum praeparati et ab opinionibus praejudicatis liberi facile eas intelligunt; attamen in profunda earum vix sapientissimi